



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et
Principis Monasteriensis Decas**

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

83. Obsidetur Lochemum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

1665. Gallicis neminem velle nundinari. Ità alterationibus dies iterùm trahebantur.

Joannes Mauritius *Nassovia* Princeps, Ducatus *Clivia*, annexarumque Ditionum Governator, in utroque Orbe famosus Hero, Castrorum *Reip.* Præfectus erat. Hunc ratis in diem ferè monitionibus Ordines gent, ut si terram hosticam invadere non permittat tempestas præsens, saltem recuperat fatagat *Lochemium* ac *Doetechemum* oppida quò impressa ab hoste macula aliquantum luatur. Si vires antè impares visæ, nunc subsidiariq auctas exercitu, cur non majora cur præstituras?

83. *Obsidetur Lochemium.* Octavâ igitur Decembris trajecto *Lochemium* obsidione cingit, *Pradelio* comitante. *Elverfeldius* loci Præfectus, exultante ante mœnia horreis, attritâque annonâ, defensionem se parat. Id quanquam initio strenuè facit, quod oppidum tamen munimentis olim exutum (ut mihi, dum imponebatur, ipse questus fuit) haud diu posset defendi, octiduo postquam obsideri cœptum est, honestis conditionibus dedit; Quarum obsidentes puduisse ferunt, quandò Martium inter apparatus, reliquæ nitrei pulveris, ab *Elverfeldio* dimidium duntaxat vasculum consignabatur. At *Nassovius* verbi tenax, neglecto quorundam murmure octuaginta equites adjunxit, qui præsidiarios, cum armis & signis

& signis, more militari, decimâ quintâ Decembris egressos, sarcinisque omnibus, *Uredenam* usque deduxerunt. Recuperato sic *Lochemio*, tametsi in hyberna duci exercitum nunc oportere plures sentiebant, quod tamen constaret Ordinibus gratius fore, si in ipsis adhuc terræ suæ visceribus hostis impetere-
tur, visum est propiùs Diocesim castra mo-
vere.

Quandò è Galliis auxiliares in Belgium descendere nunciabantur, *Christophorus Bernardus* cceptam nuper pontis fabricam admirabili celeritate maturabat, ut militem suum in *Caltris Winschotanis* septum tandem educeret, junctumque exercitui, hostibus objectaret. Jamque ingestâ immensum terrâ, cespitem, arenâ, & præter incredibilem, ut antè memini, asserum & omnis generis lignorum farraginem, ramis arborum, ipsisque arboribus injectis, ac palis, trabibusque ad marginandum defixis, ita opus excreverat, ut continuam trium horarum paludem, viâ nunquam visâ, permeabilem, equitabilemque fecerit; & copiæ, quæ paludibus, aquisque cinctæ, nunquam evasuræ credebantur, ante finem Novembris, inexplicabile iter, ad stuporem omnium, feliciter emensæ sint. Frontem tenebant pedites; medium sarcinæ & præda, milleni *Frisij* boves; agmen claudebat equitatus. Eductis jam Legionibus, cum

1665.

84.

*Miles
Mona-
steriensis
in hostico
septus.*

*Miri
pontis
beneficio.*

*Feliciter
evadit.*